

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XLV. Ratione loci, in quocumq[ue] quis moriatur, neminem conqueri posse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. XLV. *Ubi cumq; quis moriatur, conqueri eum non posse.* 499
at quod egestatem sentit, quod labores patitur, quod senescit, quod
egrotat, quod moritur, quisq; conqueritur, quasi secundum natu-
ram minus ista, quam illa sint: & nasci & vivere, & comedere & esu-
rire, & dormire, & mori naturalia sunt, ut nemo his mortalium va-
cet, nisi cui forte senescendi necessitatem, laborumq; molestias & agri-
tudinem, necessitas mortis precipitata remiserit. *Quid igitur inuti-*
les querelas effundimus? an quia nobis solis ista contingunt, solis nobis
lugere permisimus? an quia omnibus cunctorum simul in nos lamenta
transfundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam
accusamus immeritam? Odiosum sanè negotium & importunum: illa
enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiam exacerbauimus,
in parentem optimam ingrati, in nosmetipso impī.

C A P V T X L V .

*Ratione Loci, in quocumque quis moriatur, neminem
conqueri posse.*

Tris potissimum circa Mortem in questionem venire
possunt, Locus, Tempus, Modus moriendi. Locus
quidem, ut sciatur, cur aliqui domi, in patria, atque
inter suos, alij foris, apud alienos, & ignotos, ex hac vita mi-
grare cogantur: Tempus autem, ut cognoscatur, quare alij in
infantia, in juventute alij, alij in sera ætate moriantur? Modus
duo inuoluit, vnum ex parte corporis, ex parte animi alterum.
Primum varia genera mortium, secundum diuersa genera ten-
tationum complectitur. Ad locum morientium quod attinet,
non est profunda quæstio. Nam quod aliqui peregrè, aliqui in
patria; quidam sub testo, quidam in plateis & medio foro è viuis
excedant, quidam in munitis, quidam in apertis locis & campis
vltimum diem claudant, Mortis jus est, à quo neminem Natura
excipit. Si vllus in Mundo locus esset à Morte immunis, omnes
eo vellent confugere, quantumcumque distaret. In Paradiso
talis locus fuit; sed illa immunitas non tam ad locum, quam ad
arboris fructum pertinebat. Quare postquam mortis reus factus
est Adam, ex eo loco expulsus est, dicente Domino: *Ne forte mit- Gen. 3, 22.
tat manum suam, & sumat etiam de ligno vita, & comedat, & vinat*

I.

Rrr 2 in

300 Cap. XLV. Vbi cumq; quis moriatur, conqueri eum non posse.
in aeternum. Ejecitq; Adam, & ne postliminiò reuerteretur, col-
locavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium,
atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vita. Reliquus totus
Mundus exilium Adami fuit, in quo, tamquam proscriptus,
Mortis potestati traditus fuit, contra quam nullum vel illi, vel
postoris eius asylum datum est. Nulla vrbs tam munita, nulla
moenia tanta firma, nulla turris tam alta est, vt Mors longis suis
cruribus ascendere non possit, & domino eius fatale telum
infigere.

II.

Est quidem vna terra alterà melior, vna aura alterà salu-
brior, vnum cæli clima altero præstantius, atque hæc sanè fa-
ciunt ad sanitatem, quin & ad vitam prolongandam; nequa-
quam tamen ad consequendam immortalitatem. Quamobrem
rectè Martialis de Curiatio Tiburtinum cælum quærente scri-
psit.

Martial. li. 4.

Epigr. 60.

Ardea solstitio, Pestanaq; rura petantur.

Quiq; Cleonao sidere feruet ager.

Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,

Inter laudatas ad Styga missus aquas.

Nullo fata loco posbis excludere: cum mors

Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Sicut enim saluberrimus locus est Tibur, ita Sardinia mediter-
ranei maris insula notata est à veteribus ob cæli grauitatem.
Tacit. lib. 2. Annal.

Qua de causa Tacitus narrat, sub Tiberio Senatus consultum
fuisse factum; ut Indorum & Egyptiorum quatuor millia in insu-
lam Sardiniam veherentur, qui si interijssent, ob grauitatem cæli, fa-
cilem jacturam, & vile damnum futurum. Quò alludit & Suetonius
his verbis: Indorum inuentutem, per speciem sacramenti, in
Tiberio. c. 36. prouincias granioris cæli distribuit. Graue cælum est, vbi cumque
quis moriatur. Nec sequi mortem, necesse est; nec vtile, fugere,
nisi vbi contagio suadet esse fugiendam; & neque tunc quidem
mortem euades infidiantem; hinc Poëta dixit:

Nec quamvis fugias ad Tanaim, effugies.

quia vbi cumque tecum circumfers tuam mortalitatem.

Quod si igitur vbiique terrarum homines tandem mors
inuenit, quid refert, vbi inueniat? Philosophicè Diogenes, lu-
gente

III.

Ant in Me-
liss. part. 1.
serm. 58.

Cap. XLV. *Vbicumq; quis moriatur, conqueri eum non posse.* 501
gente quodam, quod in peregrina terra moriturus esset, dixit :
Quid luges, ô stulte ? Undecumq; eadem est via ad sepulchrum. Quæ-
vis terra idonea est, ad cadaver tegendum. Idem responsum
aptari potest, seu pius quis fuerit, seu impius. Si pius, cogite,
undecumque eamdem esse viam ad calum : si impius, sciat, unde-
sumque eamdem esse viam ad Orcum. Ast aliud est, decedere do-
mi, inter suorum manus, & auxilia, aliud inter peregrinos &
exterros ? Aliud proorsus est, sed fortasse mereris, ad tuos non re-
uerri: fortasse cui merentur te amplius non videre. Fortasse ti-
bi & illis vtile est, ut inter ignotos moriaris: quia si parum ho-
nestè moreris, & tuo pudori consulitur, & tuorum ; certè cog-
natis & amicis tuis mitior plaga infligitur, si te non videant in
oculis suis morientem ; minus enim feriunt vulnera venientia
à longè; quia tempore ipso & morâ languescunt. Mittuntur
multi foras, ut discant vanitatem, occumbunt igitur foris, ut
luant vanitatem. Multi domi & mortales, & immortales offendunt,
contingit illis igitur illud : *Et eiecit eos de terra sua in ira,* Deuter. 29.
& in furore, & in indignatione maxima, proiecitq; in terram alienam. 28.

Quamquam ea est varietas ingeniorum, ut quod vni est
exilium & pœna, alteri sit gaudium & patria, hinc delectabilis
est illis peregrinatio, & sicut cochlear semper domum suam se-
cum circumferunt, quia vbiique sunt domi. Enimuerò Demo- Stob. serm.
critus, quamlibet terram homini sapienti peruiam esse dicebat : 38.
anima namque fortis vniuersus mundus patria est. Vbiique ergo
libeater, & tamquam in patria viuit. Quid ni igitur vbiique li-
benter & tamquam in patria moriatur? cùm præsertim ipsa illi
patria exilium sit. *Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur* 2. Cor. 5. 6.
a Domino. In quem modum Seneca ait : *Patriam meam transire* Senec. de
non possum omnium una est extra hanc nemo projici potest. Non pa- Remed. Fort.
triam mihi interdicitur sed locus. In quamcumq; terram venio, in meā Plut. lib. de
venio, nulla exilium est sed altera patria est. Patria est, vbicumq; be- exilio.
ne est. Illud autem, per quodcumq; bene est, in homine, non in loco est. Cic. lib. 5.
Si enim sapiens est, peregrinatur ; si stultus, exulat. Hercules certè Tuscul. qq.
interrogatus, Argiulnē esset, an Thebanus? respondit : Non Plutarch in
unam euro patriam jactare : omnis Gracia mihi patria est. Simili Lacō. Apophis
sensu Socrates, apud Ciceronem, rogatus, cuiatem se esse dice- ret?

502 Cap. XLV. *Vbicumq; quis moriatur, conqueri eum non posse.*
ret? mundanum se esse pronuntiauit, totius enim mundi se in-
colam & ciuem arbitrabatur. Cui subscribens S. Gregorius Na-
zianzenus orat. 28. dixit: *Nobis omnis terra, & nulla terra pa-*
tria est. Adde quod quibusdam sit magis gloriosum extra patriam
& viuere, & mori. Alexander, in Olympijs præconio jus fece-
rat omnibus exilibus in suam cuique patriam redeundi, præter-
quam Thebanis: Tum Eudamidas, *Infortunatus*, inquietabat,
praconium, sed vobis, o Thebani, gloriosum. Solos enim vos metuit
Alexander. Ad consolandos Thebanos, sic interpretatus est vir
animi solertis. Etenim qui permittit exilibus redditum in suam
patriam, non metuit, ne moliantur vindictam. A Thebanis
igitur solis metuebat. Si Thebanis gloriosum, extra patriam
mori, cur non & Christianis? præsertim si patriam pro patria
relinquant militando; aut multò magis Euangelium dissemi-
nando? Nam his dictum est: *Omnis, qui reliquerit domum, vel*
fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios,
aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & viam ater-
nam possidebit.

Matth. 19. 29.

V. Qui autem Apostolorum vult esse imitor, de quibus di-
citur: *In omnem terram exiuit sonus eorum, quod longius a patria*
sua profiscitur, eo Christi nomen prædicando clarior euadit.
Ignis instar vehementer ardoris erumpere cuperet, si in angu-
stias includeretur. Quem in modum etiam Diogenes, cuidam
per con uitum dicenti, *Sinopenses te exilio damnarunt, At ego, in-*
quietabat, illos mansione, significans se, quod solum vertere jube-
retur, nihil infeliciorem esse his, qui in patria mortem expecta-
rent, nec exilium a quo animo pari possent. Non minus enim mi-
serum est, manere domi coactum, quam coactum esse, foris exu-
lare. Philosophus, cui queuis terra patria est, si jubeatur ire
exulatum, vnius tantum ciuitatis exul est. At qui nusquam po-
test vel viuere, vel mori, nisi in patria, plurimarum regionum
exul est. Itaque ex Plutarchi sententia, Diogenes mutarat pa-
triam, nempe Pontum, & extremi Euxini littora, sed in melius;
siquidem infelici alicui regioni a scripti potius censendi sunt
exulare. Præstat igitur non astringi patriæ, præsertim calamito-
Erasm. lib. 6. sæ. Qua de causa argutè Stratonicus Muscus Seriphī agens,
hospitem

hositem suum percontatus est, ob quam caussam illic homines Apophtheg^j
juberentur vertere solum? cumque ille respondisset, *Flagitiosos,* ex Plutarch^o
apud Seriphios exilio multari: *Quin tu,* aiebat, aliquid flagitiis
committis, vt ex his loci angustijs emigres? notans regionem esse
incommodam, & oppidum frigidum. Tantum abest, vt sit mi-
serum, extra patriam vel viuere, vel mortem præstolari, etiam
vt sèpe contrarium sit calamitosum.

Et quid verò amittitur, si quis extra patriam mortem op-
petat? Solatia, an lamenta amicorum? Bis moritur, qui morte
sua vider etiam amantes suos occidi. Quid ergo amittitur, extra
patriam? an virtus? an diuitiae? an bonus aér? Nequaquam.
Sæpe hæc etiam alibi augentur. Itaque Stilpo cuidam noxiūm Stobæus
esse exilium affirmanti, respondisse fertur: *Quibus tandem,* & ferm. 39.
qualibus bonis priuat exilium, animine, an corporis. an fortuna? An
judicandi, agendij, dexteritatem, aut felicitatem aufert? haud sanè.
An fortitudine, justitia, aut alia quapiam virtute priuat? Ne id qui-
dem. Sed nec ullo fraudat corporis bono. An non aquè licet in aliena
terra benè valere, viribus pollere, acutum cernere,, & audire acutē;
interdum verò multò magis, quam si insua terra quis maneat? For-
tuna verò bonis exilium neminem exuit. An non visum est. multos
tum demum, cùm exiles sunt facti, potitos fortuna bonis splendidio-
ribus? ut Phœnix, Themistocles. Hic enim, teste Plutarcho, cùm Plutarch. in
pulsus primū Athenis, & mox tota Græcia, venisset ad Persa- Apophtheg.
rum Regem, ditissimus ab eo factus est. Quare magnifica dona,
quibus à Rege honoratus erat, intuens dixit: *O pueri! periera-
mus, nisi perijsemus.* Sicut ergo multis feliciter cessit, etiam te-
staceum flagellum, seu ostracismo in exilium ejectis, extra pa-
triam viuere, ita & mori procul à suis vtile fuit; sic fortasse sal-
uantur, qui domi perijssent.

Patriā igitur carere non est malum, quia fortī viro omnis
locus patria est: immò sape bonum est, etiam eo nomine, quia
multi domi ea carent & libertate, & authoritate, qua pollut
foris. Hinc Socrates, teste Gellio, non stulte exili⁹ libertatem, do- Gell. 1.13. c. 57.
mestica seruituti anteposuit. Et de authoritate loquens Dominus
ait: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Matth. 13 57.
Quod alius Euangelista subiunctum esse testatur illis verbis: *Vti-
que*

VI.

VII.

504 Cap. XLX. *Vbicumq; quis moriatur, conqueri eum non posse.*
que dicitis mihi hanc similitudinem: *Medice, curate ipsum: quanta audiimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Sed respondit, morem esse, ut plerumque homines, & hominum facta domi non sint accepta, immo contemnuntur, quæ alibi sunt grata & melius collocantur. Quod etiam confirmat duobus exemplis, dum ait: *In veritate dico vobis, multa vidua erant in diebus Eliae in Israël, quando clausum est calum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset famæ magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonie, ad mulierem viduam.* Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Quemadmodum ergo olim propter Iudeorum incredulitatem, neq; Elias ad villam Iudeam viduam missus fuit, neque Elisæus ullos Iudeorum leprosos curavit, ita neque ipse Christus voluit in patria homines tunc curare: miracula enim illius maiorem habuerunt, apud exterios, fidem atque autoritatem. *Cur igitur, inquit in eum locum,* S. Ambrosius, *non curabat fratres, non curabat cives, non sanabat Propheta consortes; cùm sanaret alienos sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis consortium tum habebant; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non natura jure defertur?* *Dicte, Christiane, rogare, quod cupias impetrare; fastidiosos viros caelestium profectus munerum non sequuntur.* Multorum quoque aliorum insignium virorum familiaritas gignit domi fastidium; notitia, apud alienos admirationem.

VIII.

Gen. 50, 24.
Gen. 49,

Gen. 12, 1.

Verum est, non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici; & quidam dicebat, *Patria nihil dulcissima, nihil charius in vita esse debet.* Nullus locus est domestica sede incundior. *Charis sunt liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppere, si ei sit profuturus?* Ita planè est, & nonnullis solarium est, in suorum manus animam effundere: atque cum suis maioribus sepeliri. *Quod petiuit & Joseph, & pater eius Iacob, cui magno solatio fuit, habere præsentes filios, illisque ultimum valedicere.* Sed sæpe etiam Deus amicissimus suis hoc beneficium non concedit, ut maius largiatur. Vnde dixit ad Abram: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de do-*

mo

mo patrii tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamq; te
in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum,
trisq; benedictus. Euocatus igitur Abram è patria sua Chaldæa in
Chanaan, hoc est, è media Chaldæorum infidelitate, varias bene-
dictiones est consecutus. 1. Factus pater & princeps magnæ gen-
tis, instar stellarum, & arenæ maris multiplicatæ: *Faciam te in*
gentem magnam. 2. Frugum diuitiarumq; copia: *Et benedicam tibi.*
3. Nominis celebritate & gloria: *Et magnificabo nomen tuum.* 4.
Complexione omnium bonorum: *Erisq; benedictus.* 5. Etiam be-
nedictione amicorum: *Benedicam benedictibus tibi.* 6. Maledi-
ctione inimicorum: *Maledicam maledictibus tibi.* 7. Omnia-
gentiū benedictione: *In te benedicentur omnes generationes terra,*
quia ex te descendet CHRISTVS, in quem credentes omnes gen-
tes justificabuntur, sicutq; amici, & filii DEI, indeque hæredes re-
gni cælestis. Ita enim Abram per CHRISTVM Filium suum pater
factus est omnium fidelium & electorum. Quæ est spiritualis &
maxima benedictio. Has omnes benedictiones consecutus est
Abram, quia, DEO vocante, exiit è patria sua, de Vr Chaldæorū.

Gal. 6¹ 16.

IX.

Similes benedictiones vidi multas in ijs, qui ne hære-
tici fieri cogerentur, exierunt de patria sua, vel ad illam non
redierunt, alibi ad Religionem Catholicam conuersti, & idcirco,
qui domi in sordibus jacuissent, peregrè floruerunt, sibi & alijs
vtiles. *Magno animo nos, ait Seneca, nou viuis urbis mœnibus* Senac. lib. de
clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus; patriamq; nobis Tranquill.
mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. cap. 3.

Nempe κοσμοπολίτας sumus, non vni vrbi, sed toti orbi nati.
Vbi Deus est, nullo loco illi non possimus vel viuere vel mori.
Alexander Magnus nobis est imitandus, qui Persis deuictis, Ma- Plutarch, in
cedonibus matrimonio junxit Persides puellas; tum enim vni- Alexand.,
uersis mandauit, ut Mundum pro patria, castra pro arce, bonos pro
cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent. Eiusdem sententia fuit
S. Augustinus, cuius hæc sunt: *Omnis, qui ad supernam pertinet* S. Augustin.
civitatem, peregrinus est Mundi: & dum temporali uitetur vita, in in sentent.
patria viuit aliena; ubi inter multa illecebrosa, & multa fallacia, senr. 17.
DEVM nosse, & amare paucorum est. Hinc non curant Sancti,
vbi, sed quo modo viuant, Hiac Pontius in vita S. Cypriani,
Christia-

306 Cap. XLVI. Immatura aliquos innocentes, sed justa morte obire;

S. Greg. Nazianz. orat. 20 Christiano, inquit, totus hic Mundus una domus est. Hinc S. Basilus Praefecto Valentis Imp. exilium minitanti respondit: *Exilium se non cognoscere, qui nullo loco circumscriptus esset.* Hinc etiam S. Cyprianus, cum Proconsul itidem ob fidem Christi ei exilium minitaretur, dixit: *Exul non erit, qui DEVM in mente habebit: quia Domini est terra, & plenitudo eius.* Quare talis neque in exilio morietur, ubicumque tandem moriatur. In compendio, & contra metum, & contra querelas eorum, qui non libenter extra patriam suam viuunt, ne extra patriam suam obeant, optimum prescribit remedium Hugo Victorinus, his verbis: *Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hac & transitoria primum commutare, ut possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem, cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus Mundus exilium est. Ille Mundo amorem fixit; iste sparxit; hic extinxit.*

C A P V T X L V I

Immatura morte aliquos, licet innocentes, occultis,
sed justis & clementibus DEI judicijs obire.

I.

Heribert.
Rosveld l.c.
de vit. PP. li.
bell. 15. n. 1.

DE loco mortis sua nullam esse vlli mortalium justam querelam ostendimus, quia vnde cumque relinquitur, quod est fluxum; vnde cumque iter ad sepulchrum; vnde cumque iter est in domum æternitatis. At de tempore mortis fortasse causæ sunt murmurandi contra vitæ Dominum? Abbas Antonius, deficiens in consideratione profunditatis judiciorum DEI, postulauit, dicens: *Domine, quo modo aliqui in paruo tempore vita sua moriuntur, & aliqui ultra decrepitam veniunt senectutem?* & quare quidam egestuosi sunt, alij autem facultatibus ducantur: & quomodo injusti opulentii sunt, justi verò paupertate premuntur? Et venit ei vox, dicens: *Antoni, ad te ipsum intende; hac enim judicia DEI sunt, & te scire ea non conuenit.* Volebat nimis rursum sapientissimus Mundi Rector, eum in simplicitate degere, neque arcana prouidentiaz consilia curiosius scrutari, quæ alijs, intel homines degentibus saepius reuelauit, ut non solùm eius æquitatem